

Kennr 3480 (1-11)

537

8

DE
MEDICINA
POPVLARI

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
PRO
GRADV DOCTORIS
MEDICINAE AC CHIRVRGIAE
LEGITIME IMPETRANDO

D. XXVII. SEPTEMBR. M. D. C. C. LXXXIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE DISSERTET

AVCTOR

CARL SIGISMVND KRAMER

HARSLEBA - HALBERSTADIENSIS.

HALAE
LITTERIS FRIDER. AVG. GRVNERT.

IN
M E D I C I N A
P O P U L A R I

COMMISSIO ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSI ORDINIS MEDICI

GRADU DOCTORIS
MEDICINAE AD CHIRURGIAE

PHYSICAE PRAEFATIO

AUCTORIS CAROLUS SIGISMUNDUS KRÄMER

DOCTOR

CAROLUS SIGISMUNDUS KRÄMER

PHYSICUS - HISTORICUS

HALAE

TIPOGRAPHIAE JOHANNIS GRIFFITHI



VIRO EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO
DN. CH. E. KAPP

MEDICINAE DOCTORI
MEDICO PRACTICO LIPSIENSI
CELEBERRIMO
SOCIETATIS OECONOMICAE SODALI

IN

GRATISSIMI DEVINCTISSIMIQUE ANIMI

MONUMENTVM

HOCCE OPVSCVLVM

OFFERT

AVCTOR.

VINO EXCELLENTISSIMO

EXTRACCUM

DR. CH. F. KAPP

MEDICINAE DOCTOR

MEDICO PRACTICO FIRSIENSIS

CHIRURGI

SOCIETATE OBSTETRICAE SOCIUS

ET

OPHTHALMICI PRAECEPTOR

MONASTERII

NOBIS OBSERVAVIM

OPUS

AVGUSTI



*VIR EXCELLENTISSIME
EXPERIENTISSIME*

¶ *Am ab illo temporis mo-
mento, quum e grauiſſimo morbo
reſpiſcerem, et dulcedine vix re-
ſtitutae ſanitatis fruere, ar-
denti deſiderio occaſionem efflagita-
vi, vt TIBI gratiſſimi animi
ſenſus exprimerem. Cui quidem
tantum debeo? Quis me tantis
beneficiis ſibi deuinxit? TV enim
ex orci faucibus me eripuisti, me
ad*

ad vitam, *cujus filium crudeles*
Parcae abscindere minabantur,
reuocasti, et parentibus amicisque
dolentibus incolumem reddidisti.
Laetitia exsultat animus, ut TIBI
hac occasione minimam saltim
gratitudinis ad ultimum vitae meae
halitum durantis, partem patefa-
cere possim. Quamuis munusculum,
quod TIBI offero, exigui sit.

momenti, tamen benigne accipias,
et gratum donantis animum consi-
deres, qui majora, si possideret, li-
bentissime offerret. Deum precor,
vt TE ad annos vsque nestoreos
saluum et incolumem seruare velit.
Ceterum nihil iucundius, nihil op-
tabilius mihi obtingere possset,
quam si me TVA amicitia non
plane indignum aestimares. Qua
dulci

*dulci spe fretus me TIBI de me-
liori commendo, qui pia mente sem-
per ero. TVVS*

**VIR EXCELLENTISSIME
EXPERIENTISSIME**

Cultor addictissimus

C. S. KRAMER.

PROOEMIUM.

Cum praeterlapso triennio aut quadriennio academico iuuenis medici officium sit, se ad elaborandum specimen medicum accingendi, vehementer sollicitus fui, de quam re aliquid in medium proferrem? Patuit mihi amplius satis totius medicinae campus, quem tamen omnium gentium medici satis jam coluerunt. Vehementer timebam, ne rei cuiusdam pertractationem fusciperem, quae jam diu ab alio viro me doctiori elaborata esset, aut cui suppeditare non possem. Itaque diu suspensus haesitavi, donec tandem mihi *medicinam popularem* pertractandam elegerim, cujus vsus et abusus nondum satis definitus mihi videbatur. Finito fere labore animaduerti, alios viros etiam de ea re jam disseruisse, quorum primus est, NEVENHAHN ^{a)} alter Ill. eques MURRAY ^{b)} praecepto-

a) Vid. in EIVS Vermischten Anmerkungen über einige auserlesene Materien zur Beförderung nützlicher Wissenschaften. Leipzig 1755. 8. in Volumine tertio tractatum: Ob andern

die keine Aerzte sind, die Einsicht in die Arzeneikunst wirklich nützlich sei? Non vidi.

b) EIVS Oratio de limitanda laude librorum medicorum practicorum vsui

A

popn-



ceptor meus ad cineres vsque pie colendus, et nuperrimus auctor Cl. SCHLESINGER c). Aliud argumentum statim elegissem, nisi temporis breuitas prohibuisset. Ceterum rem alia ratione contemplatus sum, quam citati auctores, ideoque laborem meum non penitus inutilem fore spero. Mihi in animo fuit notitiam plenam librorum in vsum populi conscriptorum et iudicia de eorum valore addere. Sed mihi occasio defuit omnes illos libros perlegendi vel saltim videndi. Fieri igitur non potuit, vt huic desiderio nunc satis facere possem, licet non penitus consilium abjecerim, hunc laborem ad finem perducendi. Quod superest, benigno rei peritorum iudicio hoc opus leuidense, quae par est, modestia submitto.


populari destinatorum. Göttingae 1779. 4. Sagaciter Ill. auctor, sicuti semper solet, damna perfrinxit,

c) Eius Gedanken von dem Nutzen und Schaden der medicinischen Schriften

für den Layen und gemeinen Mann. Berlin 1782. 8. Continet hic liber vtilia quaedam, sed multis alienis comixta. Notitia librorum popularium quam finem verus adiecit auctor, non omnibus numeris absoluta est.



SECTIO



 S E C T I O I.

D E

 Q V I B V S D A M M E D I C I N A E
 M V T A T I O N I B V S.

Ex tota historia litteraria patet, nonnullas
 opiniones et scientiarum partes in omni-
 bus saeculis et aetatibus, quidquod in quolibet
 fere decennio fuisse, quae prae aliis praecipue
 excolebantur, aut in quibus elaborandis aut re-
 futandis omnes eruditi viri animum ita occupa-
 tum habuerunt, ut reliqua ad eorum praedile-
 ctas opiniones non spectantia negligerent at-
 que flocci facerent. Quod imprimis contingere
 solebat, si vir magnus, eruditione atque inge-
 nio praeditus, nec auctoritate destitutus, no-
 vam aut saltem singularem de quadam re sen-
 tentiam in medium proferret. Tunc magna et
 insignis ingenii vis unius viri, saepe summas
 cogitationum mutationes in singulis populis ef-
 fecit. Cum autem nonnullae scientiae majorem
 influxum in hominum salutem, utilitatem volup-
 tatemque praebeant; majores eosque insignio-
 res etiam effectus harum scientiarum mutatio
 producere debet. Sic v. c. mutatio rerum ad
 religionem pertinentium, quas omnes et singuli,

A 2

imo



imo homines vilioris notae magni faciunt, maximas omnino reuolutiones induxit: quod quidem historia omnium gentium et saeculorum fati superque docet. — Auctoritas vnus viri in rebus politicis, saepissime totius Europae faciem commutauit, et suum agendi cogitandique modum vbique introduxit.

Quamuis autem reliquae disciplinae, tantos tamque conspicuos effectus non exserant, si nonnullae earum partes plus iusto excolantur, aut a singularibus virorum quorundam opinionibus commutentur, attamen aciem oculorum effugere non possunt eorum, qui per omnem saeculorum seriem et per omnes historiae labyrinthos opinionum mutationes, earumque causas et effectus indefesso labore inuestigare valent.

Inter omnes autem scientiarum cultores, medicos imprimis ingenio praeditos semper quibusdam opinionibus et hypothefibus fauisse, et nonnullas scientiae nostrae partes majori cura ac diligentia elaborasse, historia medicinae innumeris exemplis probat. Hunc peculiarem amorem quarundam medicinae partium cum coeuis suis communicarunt, ita vt saepius totum
saecu-

saeculum in elaboranda illa parte occupatum esset: donec vir alius vel abufum, vel alia hujus rei damna luculenter ostenderet, aut noui quid in medium proferret. Hac ratione fieri potuit, vt medici vnum extremum linquentes aliud amplecterentur, vt vna medicorum secta alteram extrudere studeret, vt denique saeculum quoddam characterem proprium ab illo studii genere assumeret, quod in eo excultum est. Licitum mihi fit ad hanc rem comprobendam quaedam exempla ex historia medicinae depromere.

Veteres medici, et imprimis HIPPOCRATES, ille accerrimus naturae scrutator, omnem operam eo impenderunt, vt obseruando morbos, medicinae ambitum magis magisque amplificarent. Sequentes autem medicinae cultores non semper eam viam persecuti sunt, sed iam veterum obseruationibus, tamquam firmis fulcimentis, ad condendas varias theorias vsi sunt, quibus omnes naturae operationes abstrusas explicare annitebantur. Rationem quidem huius rei satis perspiciet is, qui mentis humanae naturam eiusque perpetuam propensionem ad indagandam et enucleandam rerum indolem non ignorat. Inter omnes vero antiquioris aetatis medicos praesertim GALENVS, strenuus HIP-



POCRATIS defensor et assecla, vir in omni fere scientiarum ambitu sui temporis versatissimus, ita, vt quoque in sequentibus saeculis auctoritatem dictatoris nactus sit, sicuti in philosophia ARISTOTELES, obseruationis studium non prorsus quidem neglexit, sed tamen magis hypothesebus indulgit, quibus asseclarum cohors seducta viam naturae plane liquit. Recte igitur iam BOERHAAVIUS monuit, *eum medicinae multum profuisse et nocuisse*. Scripta enim GALENI erant communis fons, ex quo tota fere posteritas medicas veritates hausit: id quod eo nocentius medicae arti euadit, quo magis, ante scientiarum restaurationem, hic fons Arabum nugis et subtilissimis figmentis turbidior atque impurior redditus erat. Sequentes aetates incredibili fere pertinacia et tenacitate GALENI placitis inhaeserunt, vt vix illa noua theoria, a PARACELSO insigni audacia prolata, tam verus, et vti GALENI sectatores putarunt, firmis fundamentis superstructum aedificium concutere valeret. Medicina galenica per tredecim saecula in omnibus totius Europae, Asiae et Africae regionibus, vbi scientiae et imprimis medicinae studium floruit, summam dominationem tenuit; cuius sub dominatu medicinae cultores nihil noui fere in incrementum artis moliebantur,

ne

ne a pertinacioribus GALENI affectis, tanquam haeretici, condemnarentur. Crambem galenicam per tot saecula coctam et ruminatam semper recoxerunt. In vniuerso scientiarum imperio languor virium animi et insignis mentis imbecillitas totum hominum genus ita occupauit, vt, densa ignorantiae et superstitionis caligine, quam debiles veritatis radii penetrare non poterant, occaecatum, ARISTOTELEM et GALENUM, philosophorum et medicorum tyrannos sequeretur. Philosophiam semper veritatis facem reliquis disciplinis praetulisse, historia philosophiae, ceterarumque scientiarum satis superque probat atque confirmat. Quando enim haec, crassis errorum tenebris circumfusa, titubante passu incessit, tota scientiarum cohors, amica ducis luce orbata, eius vestigiis insistere non potuit et per vastum erroris campum vagata est. Quando vero haec splendente veritatis lumine viam colustrauit, omnis turba certo gressu vestigia fororis pressit. Illa conditio, tristis maedii aevi fors haec autem nostrae praesertim aetatis fuit, qua mens humana denuo omnia iura et cogitandi libertatem sibi vindicauit, et exsecuta est.

Fortassis schola galenica diutius somniasset nisi demum a PARACELSO, acerrimo galeni-



starum inimico, sopore expergefacta esset. Audax ille vir ingentem animorum conuersionem effecit. Libros graecorum arabumque despreuit, morborum obseruationem neglexit, vulgarem medendi rationem paene prorsus suppressit et omnibus morbis per efficacia medicamenta, quae arte chemica parantur, mederi studuit. Absurdam huius viri theoriam forsitan non tanto applausu tantoque feruore maxima medicorum pars amplexa esset, nisi libri sui, obscuro stilo conscripti, increbrescenti astrologiae et Alchymiae maniae fauissent. Praeualuit secta chemica imprimis in Germania saeculo XVI, vt, HALLERO monente, vix princeps in Germania esset, qui medico alio vteretur, praeterquam Chemico.

Haud multo post HELMONTIVS medicinam chemicam in Belgio et Gallia propagauit. Verosimile est, galenicam sectam tum prorsus evulsam fuisse, nisi, post restaurationem litterarum, eodem tempore studium veterum graecorum et praesertim HIPPOCRATIS, in Italia imprimis et Gallia praeualens, simul cum philosophia, a scholasticis subtilitatibus paululum purgata, subitaneos progressus et propagationem celerem chemicae sectae retardasset. Ita status
medi-

medicinae comparatus erat in saeculo XVI et in-
 itio sequentis, vt Chemia et chemica medica-
 menta apud Germanos et Batavos in deliciis ef-
 sent. Galli autem et Itali omnem operam na-
 varunt, vt HIPPOCRATIS et GALENI placi-
 ta magis magisque propagarent. Omnes ha-
 rum sectarum affectae nihil aliud moliti sunt, nisi
 vt aduersariorum opiniones refutarent. Quibus
 rebus omnino scientiae nostrae incrementum im-
 pediebatur.

Numquam insanus furor in diuersos sectas
 abeundi et scholas medicas formandi major fuit.
 Quamuis enim in initio saeculi XVII. immortalis
 HAVEIUS circulum sanguinis demonstraret, et
 multi alii viri experimenta physica, chemica, et
 anatomica in brutis instituerent, iisque sanio-
 rem physiologiam superstruerent; attamen maxima
 medicorum pars vanis phantasiae lusibus indulgit
 et saepissime ridiculas hypotheses excogitauit.
 Sic Sylviana schola eo tempore nouam medendi
 methodum introduxit, et, a falsa theoria sedu-
 cta, tantum eo nitebatur, vt acidum morbosum
 medicamentis calidis, volatilibus et alcalinis supe-
 raret nimiamque sanguinis tenacitatem atte-
 nuaret.

Tribus



Tribus his sectis, Galenicæ, Chemicæ et sylvianæ sese opposuit vir maximo et accerrimo ingenio præditus, SYDENHAMVS nimirum, qui, sine præ conceptis opinionibus et nulli sectæ adscriptus, morbos vera hippocratica arte obseruauit et ad naturæ nutum curauit; ita ut nomen HIPPOCRATIS Anglorum sibi vindicaret. Cum tempore illo omnes fere medici ab hypothesium fūco seducti incredibili furore in factiones ruerent, SYDENHAMVS sane in summam medicinæ salutem errantibus Aesculapii sacerdotibus naturæ studium inculcauit, neglectamque diætam et morborum obseruationes recte institutas, longa sæculorum serie fūsq; deque habitas, restituit, ne scientia illa generi humano saluberrima, in meras sectarum nugas degenerans, pristinam dignitatem et vtilitatem prorsus amitteret. Multi alii viri conaminibus SYDENHAMI in subsidium venerunt, quibus omnino verum medicinæ incrementum promotum est.

Sed demum sub finem sæculi XVII. magnus et immortalis BOERHAAVIUS, omni graecorum et romanorum sapientia nutritus, sylvianam scholam prorsus euertit; studium naturæ et veterum graecorum insigni eloquentia auditori-

toribus commendauit; chemiam somniis PARACELSI, HELMONTII et ALCHEMISTARVM, atque physiologiam multis sectarum hypothefibus purgauit; faniozem pathologiam indagatone cauffarum morbificarum fultam docuit, et felectis medicamentis tam fimplicibus quam compositis morborum curationes ad naturae normam inftituit. Iecit omnino firma fatis fundamenta, quibus ejus difcipuli et recentiores medici firmius fcientiae noftrae aedificium fupfiruxerunt. Cum ex omnibus Europae regionibus juuenes ad Cathedrae boerhavianae limina confluerent, ejus placita etiam per vniuerfam Europam propagata funt a difcipulis tanto praeceptore dignis. Quamuis etiam fummus BOERHAAVIUS quandam propenfionem in feftam mechanicam foueret, tamen nihil detrimeti inde res medica cepit. Eadem Secta in germania infigni celeritate increuit, imprimis fub aufpiciis F. HOFFMANNI, digniffimi viri et magni aemuli BOERHAAVII; licet ab altera parte feftatores STAHLII, viri de arte medica optime meriti, vltiores ejus progressus impediuerint, ita vt in primo triente faeculi noftriae feftae pari paffu in germania ambularent. Hi duo viri magnam apud exterarum nationum famam adepti funt, et nunc ab Anglis et Franco-

gallis



gallis plus aestimantur diligentiusque leguntur
quam a germanis.

Post mortem horum virorum sectarum ma-
nia et factionum medicarum furor magis ma-
gisque diminutus est; et praeunte MEADIO
et FRIENDIO medici melioris notae ecclesi-
cum medicinae studium stabiliuerunt. Plurimi
enim animaduenterunt, quantum ista peruersa
consuetudo, scholas medicas constituendi, pro-
gressibus artis nocuerit; et quam multis erro-
ribus nugisque, et hypothesibus inutilibus absur-
disque, nullis factis et experimentis fultis, quas
immatura et praecox sectarum phantasia et imi-
tatorum seruile pecus excogitauit, referta erat
medicina. Praelucente saniori philosophia,
quam conamina LEIBNIZIORVM et LOCKIO-
RVM puriorem perfectioremque reddiderunt,
medici magni nominis et immortali fama digni,
tantum eas res e sectarum scoriis elicuerunt, et
retinuerunt, quae reapse artis progressum pro-
mouerent et in hominum salutem medicinam
vtiliorem redderent. Accedit etiam, vt omnes
fere gentes simul experimenta physica anatomi-
ca et chemica majori industria, et, ope per-
fectiorum instrumentorum, accuratiori ratione
et attentiori animo instituerent. Quibus multae
vete-

veterum opiniones confirmatae, multae vero aliae refutatae sunt. Hypotheses, quibus etiam recentior aetas non caret, si nunc in medium proferantur, a medicis omnium gentium experimentis examinantur, quibus eorum falsitas aut veritas citius clariusque elucet.

Omnes hi nuperorum conatus impediuerunt, quo minus eorum coëui in nouas sectas coalescere possent. Si enim in examine a tantis viris instituto nouae theoriae naturae legibus et veritati non contradicant, nemo sit, qui haesitaret, eas grato animo accipere, iisque in explicandis naturae phaenomenis vti d). Quod si autem vltiori disquisitione earum falsitas eruitur, quisnam veritatis amicus eas non respiciet? —

Ceterum cum scientia et historia naturalis incredibilia fere incrementa caperent, medicina non potuit non ex vtraque innumeras nuper detectas

d) Instar omnium mihi exemplo sit *irritabilitas HAL- LERIANA*, cuius veritas, licet a multis aduersariorum experimentis ac ratiociniis impugnata sit, tamen nunc maiori claritate et splendore elucet, atque ab omnibus medicis tanquam principium oeconomiae animalis agnoscitur, ex quo innumera corporis sani atque aegrotantis phaenomena explicari possunt.



rectas res tamquam ex comuni fonte haurire, et ex hoc veritatum thesauro locupletari. Inde certior atque selectior materia medica recentioris aetatis; inde melior et non raro viliori pretio medicamentorum praeparatio; inde felici ausu tentata officinarum purgatio a tanta medicamentorum inefficacium farragine. Itinera a viris naturalis historiae gnaris in remotis terris instituta, et conamina doctarum societatum, insigni liberalitate a Magnatibus in omnibus sere Europae regionibus fundatarum, non exiguam symbolum ad scientiae nostrae augmentum contribuerunt.

Verum enim vero, licet omnes enarratae mutationes felicissime sint factae, multum abest, ut nostra aetas ab omni propensione in quasdam praedilectas opiniones plane libera sit; ut potius nimium iis rebus faueat, quae quodam lustro aut decennio praesertim celebrantur. Luculenter hoc e nouissima medicinae historia probari potest. Quo enim feruore doctrinam de electricitate, magnetismo, et diuersis aëris generibus amplexi sunt nuperi, et in curandis morbis, atque explicandis C. H. phaenomenis applicare studuerunt? Quanti clamores ex omnibus Europae regionibus resonarunt, de insigni eorum efficacia

cia

cia in curatione morborum adhibitorum? Omnia artificia in auxilium vocata, immo obseruationes fictae, sicut medicastri in commendandis arcanis facere solent, in medium prolatae sunt, vt iis rebus magnam famam conciliarent. Monita virorum sapientium et eruditorum inter tot tantasque thrafonum vociferationes plane non audiebantur; donec decepta nouarum rerum auda turba, a risu cauillatorum illusa, in rectam viam reuerteretur. Sedato demum animorum aestu ac feruore aequi iudices iustum rerum valorem aestimare potuerunt, qui non raro tam exiguus fuit, vt recte cum Poëta exclamassēs: —
 Risum teneatis amici — parturiunt montes, nascitur ridiculus mus! —

Similes euentus, quibus omnis historia scater, humanum genus nec prudentius, nec cautius reddidit, sed eodem impetu noua occasione oblata in errores ruit. Pauci tantum rerum humanarum aestimatores et obseruatores prudenti consilio et tranquillo animo molimina sui aevi animaduertunt, et iudicium tam diu retinent, donec diuturna rei disquisitione instituta maturerit.

Quam



Quam breuem historiae medicinae delineationem eam ob causam praemisi, vt nostri aevi contemptores non semper sint temporis acti laudatores, et tandem aliquando secum perpenderent, nullam aetatem, nullum decennium aut lustrum a sectarum miasmate aut disciplinarum in deliciis habitatum procliuitate penitus liberum fuisse. Multi enim de deliramentis sui aevi ira concitati ac nauseabundi tam atro penicillo praesentis temporis conditionem depingunt et de ejus corruptione querulantur, vt fere sanam mentem coeuorum desperaremus. Nihil perfecti in hisce terris expectandum est. Erant, eruntque cujusdam aevi errores, abusus, vitia atque fatuitates! —

SECTIO

S E C T I O II.

D E

H I S T O R I A M E D I C I N A E

P O P V L A R I S.

Multis aliis rebus, quae in secunda dimidia parte nostri saeculi in amore atque deliciis medicorum fuerunt, iusto meritoque medicinae popularis studium atque diuulgatio adnumeratur. Vtilitate non vacabit, si originem et progressus peculiaris hujus methodi enarrem. Maximi omnium gentium philosophi, qui, nugae et scientiarum subtilitates spernentes, correctionem et illustrationem generis humani tantum sibi animo proposuerunt, nihil vtilius aestimarunt, nihilque ardentius optarunt, quam res, quae in vita communi summam vtilitatem praebent, ita prouulgare, vt iis quilibet ad vitae normam recte ordinandam vti possit. Veteres poëtae, quorum versus in omnium ore erant, primi gentium rudium magistri et legislatores fuerunt. Nam earum mens tantum a rebus in sensus incurrentibus percellitur. Hi igitur prudenti consilio praecipua scitu digna et ad felicitatem necessaria in fictionibus, exemplis et fabulis ante oculos posuerunt. Inter veteres autem philoso-

B

fophos

sophos SOCRATES, quò venerabiliorem for-
tasse nullum attica tellus genuit virum, primus
nominandus est, si de rerum vtilium diulgatione
agitur. Veritas a sophistarum loquaci turba et sacerdotum ignorantì ac superstitioso grege ita deturpata erat, vt tanto viro opus
esset, qui eam erranti generi humano in omni,
qua splendet, simplici pulchritudine monstraret.
Optime de eo dictum legimus: „SOCRATES
„*primus philosophiam deuocauit e coelo, et in urbi-*
„*bus collocauit, et in domos etiam introduxit, et*
„*coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis*
„*quaerere.*„ Sed hujus viri eximium exemplum
non multi secuti sunt, qui sibi postea splendidum
illum titulum philosophorum vindicarunt. Maxi-
ma hominum pars institutione caruit. Pauci ho-
mines eruditi sibi jus quoddam praecipuum ar-
tem doctam exercendi attribuerunt, et dignitati
scientiarum et propriae vtilitati obstare putarunt,
si quam sapientiae particulam in vulgus diffemi-
narent. Noxia haec opinio ab vniuersa linguam
latinam loquendi scribendique consuetudine ma-
gis fouebatur. Omnes igitur hanc linguam igno-
rantes a communi scientiarum fonte, ex quo
multas in communi vita vtilis cognitiones hau-
rire potuissent, arcebantur.

Sed

Sed sub fine praeteriti et in initio nostri saeculi nonnulli viri, ignorantiam maximae hominum partis commiserantes, felici ausu hosce fontes longe clausos aperiebant; dum in lingua vernacula jocosè et grata ac jucunda dictionis forma, verborumque facundia ea proponebant, quae scitu sunt vtilia ac necessaria. Quo artificio FONTANELLE astronomiam gustui suae gentis aptavit: ADDISON et STEELE in suis diariis morum cultum susceperunt, quos in omnibus terris innumera imitatorum cohors secuta est. Philosophia nunc magis magisque in urbibus collocata, et in domos introducta, multi alii viri ingenio et judicio praediti susceperunt, sublimiores etiam scientiarum partes prouulgare, inter quos praecipue VOLTAIRE, d' ARGENS, ALGAROTTI, et GELLERT, eminent. Nec desunt etiam in jurisprudentia ac in ipsa sanctiori doctrina auctores, qui, eodem artificio vsi, facunde proponendo effecerunt, vt arriderent lectoribus ea, quae serio dicta ipsis nauseam ac fastidium crearent.

Quae tam praeclara exempla, ne prius secuti sint medicinae cultores, sane mirum est. Quamuis enim jam superioribus saeculis multi libri sub titulis alte sonantibus in hunc finem editi

B 2

sint,



fint, nihil tamen continuerunt, quam vanam ridiculamque medicamentorum farraginem et arcanorum laudes, quae auctor grandi pecunia in crumenae repletionem vendere voluit. Nonnulli etiam auctores, jam in saeculo XVI vrgentibus occasionibus v. c. saeuiente peste aut aliis morbis epidemicis, perutile censuerunt, cum populo praecepta de praeferuanda sanitate communicare. Sed hi libelli, ad genium saeculi compositi, fabellis, empyricis absurdisque remediis et formulis sesquipedalibus pleni sunt. Multos ejusmodi librorum titulos adducere possem, nisi a scopo meo alienum foret. Negari etiam nequit, iis temporibus medicinam quoque nondum in eum perfectionis gradum euectam esse, quem ejusmodi librorum elaboratio postulat; quam ob rem rudia illius aetatis conamina nullam attentionem merentur, nisi ab historiae medicinae scrutatoribus, quibus pleniorum eorum temporum cognitionem suppeditant.

Quae cum ita sint, omnino asserere posse credo, nostris imprimis temporibus medicinam popularem excultam esse. Primus, quem inter medicinae popularis cultores nominare maxime gaudeo, ROSENSTEINIVS est, qui (anno 1753) extrusis vanis, superstitiosis noxiisque ephe-

ephemeridum praeceptis, iis vtiliores tractatus de infantum morbis inseruit. Non indignum sane regio medico conamen! Quid enim praeter Principis sanitatem magis reipublicae attentionem mereatur, quam civium et praesertim gentis rusticae sanitas? Quid quaeso vtilius esse possit, quam omnes errores, praejudicia et superstitiosas opiniones euellere, quae vitae vtilissimae incolarum partis tantas insidias struunt, et salubriora regiminis et educationis physicae praecepta prouulgare. — — —

Magnus ille vir prudenti consilio ab emendanda morborum infantilium medela incepit; cum pusionibus imprimis maximum mortis periculum minetur, et in curandis eorum aegritudinibus saepius peruersissima medendi ratio adhibeatur. Oriuntur alia adhuc emolumenta, nimirum vt respublica praecavendis infantum morbis, quorum tristes sequelae saepe per totam vitam corpus humanum ad infirmam valetudinem proclive reddunt, robustos iuvenes, viros, veteribus teutonibus similes, laborum patientes, nec non sanam prolem expectare possit. Quamquam autem ROSENSTEINIVS omnes propositos et optatos fines non affecutus esse videatur, attamen primus viam



strauit, suoque exemplo atque auctoritate multa obstacula remouit. Liber, in quo omnes sparsos tractatus collegit, quemque (anno 1764) edidit, summas quidem laudes meretur, attamen dissimulandum non est, illum in usum popularem nimis docte et artificiose elaboratum esse, quod omnino non impedit, quo minus artis periti illo maximo cum fructu uti possent.

Germania nostra gloriatur virum, VNZERVM puta, qui non ita multo post (1759) insigni elegancia, verborumque facundia nec non sermonis lepore iocoseque cum ciuibus suis multa utilia scituque necessaria e medicinae penu deprompta communicauit. Forma diarii, qua singulae plagulae qualibet hebdomate prodierunt, faciliorem reddidit diuulgationem et utilitatem vehementer auxit. Homines enim eruditorum numero non adscripti libentius breues ejusmodi plagulas legunt, quam librum multis voluminibus conflatum; cum *magnum librum*, *magnum malum* vocare solent. — Conamina horum virorum, qui rei dignitatem ac difficultatem satis perspexerunt, feliciora erant, sed tamen nimis arctis circumscripta limitibus.

Venit tandem TISSOTVS princeps medicinae popularis fundator, vir amabilis, eruditus, facundus et misericors miserorum aegrotantium

tium medicus; qui animo *Φιλανθρωπία* pleno lectos pauperum et rusticae praesertim gentis adiit, et vbiq̄ue dolores et cruciatus morborum saepe cum paupertatis miseria conjunctos lenire ardentem cupiuit. Indigentis rusticae gentis, cuius maxima pars saeuientibus morbis aut per consilia agyrtarum peruersa, defectumque meliorum, aut propter inopiam ciborum nutrientium moritur, dira omnisque auxilii inops fors eum sic afficiebat, vt statim opus illud eximium de curandis morbis hominum rure viventium (An. 1761) componeret, quod insignem rerum conuersionem effecit. Simplex, planum, sensibile et humanum genus dicendi, quo hippocratico-boerhaauiana praecepta insigni perspicacia, et iudicii acumine proposita erant, omnium tam artis peritorum quam ejus expertium animos auctori conciliauit ad promouenda conamina sua salutaria, quibus ardentem generoseque miseras hominum lenire atque diminuere desiderauit. Ceterum TISSOTVS eo tempore apparuit, quo omnium nationum cultiorum ingenium ita comparatum erat, vt conatibus vtilibus omnium virium contentione succurrerent. Lingua, quae vsus erat, quaeque omnibus Europae gentibus in deliciis est, non parum ad propaganda ejus praecepta vbiuis gentium contribuit. Amplior



igitur campus TISSOTO vtilis mutationes et emendationes in rebus medicis efficiendi paruit, quam ROSENSTEINIO ET VNZERO. Principum attentionem rei grauitas excitare videbatur, et imago miseriarum viuide depicta diuitum animos ita commouit, vt auxiliis efficacibus eas mitigare conarentur. Omni iure de nostro dici potest quod ENGEL ^{a)} de alio in medium protulit: TISSOTS Belehrungen für das gemeine Volk erregen mehr Aufmerksamkeit, als alles was er vorher geschrieben hat. Er ist einer von den Schriftstellern, der auf unsere Zeitgenossen viel Einfluß hat. Er hat Herz, Verstand, Dreistigkeit und Gunst beim Publikum. Es webt und regt sich daher jetzt mehr in allen menschlichen Köpfen als sonst.

Nos de valore hujus libelli non nimis in medium protulisse, vnanimis laus et approbatio totius Europæ, et ingens copia versio- num in omnes linguas Europæas luculenter probant, qua fortuna perpauci nostri æui scriptores imprimis medici frui sunt. Itaque illi viro honorem denegare non possumus, *eum medicinam popularem stabiluisse et ubique propagasse*. De salute et sanitate hominum semper occupatus alios non

a) Vid. EIVS Philosoph für die Welt. I. Theil.

non minus vtilis tractatus publici juris fecit, inter quos ille de onania praecipue parentum, educatorum et medicorum attentionem excitavit, ut has tenebricosas libidines, clanculum sanitatem et vim prolificam totius nationis in germine necantes, omni cura extirparent.

Multi alii medicinae cultores non minoris notae, tanti viri exemplo excitati, laudabili ardore e medicinae penu vtilissimas res elegerunt, et methodo Tissotiana tradiderunt. Nimis prolixus forem, si saltim optimorum auctorum opera singulatim enarrare vellem, praesertim cum jamjam satis nota sint. Quem enim fugiunt molimina SWIETENII, STOERKII, QFTERDINGERI, BVCHANI, ZÜCKERTI, SENFTII, RAHNII et rel. qui felici successu errores communes magis magisque diminuerunt. Eodem autem tempore etiam imitatores erant, qui cupidine aut lucri aut famae permoti, nullo rerum selectu acri judicio instituto omnia promiscue in medium protulerunt, et ignorantiam perfpicaciaeque defectum satis excusatum esse putarunt, si clypei instar titulo adjecerunt *für das Volk*. Sicuti multi, tricas apinasque venditantes, ignorantiam scribendique prurimum haud melius dissimulare credunt, quam si titulo addunt, *für Kinder*.



der. Ambo fortassis opinantur, populo et liberis quaelibet fercula offerri posse. Sed vehementer errant. Difficillimus enim labor est, libros utiles in usum *populi* et *liberorum* componere.

Haec est brevis historia originis medicinae popularis, quam insignis quorundam medicorum humanitas fundavit, philosophia autem nostri aevi purior gratam reddidit atque propagavit. Mirum igitur non est, illam tantos progressus fecisse, dum fundamentis nititur, quae in honorem generis humani in nostro imprimis saeculo amantur et excoluntur. Eadem ratione omnino sperandum est, cunctos veram hominum salutem curantes eam in illum perfectionis gradum euecturos esse, quo generi humano optatos effectus salutare producere valet. Cum autem illum nondum profus attigerit, superest, ut commissos errores eorumque evitacionem et emendacionem, nec non quibus auxiliis cautelisque id assequi possimus, ostendamus.

SECTIO



S E C T I O III.
D E
M E T H O D O P O P V L A R I,
E I V S Q V E
V T I L I T A T E E T N O X I I S.

Methodus popularis est dilucida, sensibilis, facilisque institutio in iis veritatibus, quae incultae ^{f)} parti generis humani ita proponuntur, ut iis ad justam prudentemque actionum constitutionem dirigatur. Cum autem veritatum ambitus magnus et valde diuersus reperitur, methodus popularis etiam diuersa sit necesse est. Alia enim esse debet in veritatibus philosophicis, alia in theologicis, alia denique in medicis prouulgandis. Methodus popularis medica nihil aliud est, quam dilucida, sensibilis et facilis institutio partis incultae generis humani de rebus ad sanitatem et morbos C. H. spectantibus, qua illa ad eas prudenter vel exercendas vel omittendas determinatur. Disquisitio methodi

f) Cum vocabulum *Popularis* nostro *Voik* non accurate satis respondeat, longaque alio significato a scriptoribus latinis sumatur, Vox, qua usus sum, dilucidior, rei magis congruens, eamque exactius definiens mihi visa est.

thodi popularis igitur triplex est: primum agitur de genere dicendi, secundum de rerum selectu, et denique de conditione et indole eorum hominum, qui institutione populari medica egent.

Cum methodus popularis eum sibi proponat finem, ut incultam hominum partem facili ratione instruat et illi persuadeat, dicendi genus *planum, comprehensibile, breue et satis definitum* esse debet. Omnia argumenta, exempla et parabolae, quibus utatur gentis incultae instructor, ab iis rebus desumi feligique debent, quae huic hominum parti maximae notae sunt. Validissimum est artificium, quo animi imperitorum hominum ad propositum dirigantur. A nullis enim rebus efficacius afficiuntur quam ab iis, inter quas semper versantur, quae eorum sensus incurrunt, quarumque effectus quotidie experiuntur. Omnes oratores et praecipue verbi divini ministri, qui coram coetu hominum inculto verba faciunt, hoc artificio felici successu utuntur. Non omnibus autem orationis ornamentis hoc scribendi genus plane destitutum esse debet, quoniam magnam vim animum ad propositum incitandi habent. Sed tamen cautione opus est, ne affectio imaginationis nimis viua animum lectoris tam valide perturbet, ut inca-

pax

pax sit, mente tranquilla omnia veritatis momenta rite perpendere. Interdum quidem licitum est, omni orationis vi et verborum vehementia atque impetu ad permouendos et convertendos animos vti, si nimirum summam alicujus rei nauseam atque horrorem excitare volumus. TISSOTVS eximium nobis hujus rei exemplum dedit in tractatu *de onania*; vbi illam juvenum labem viuidis horridisque coloribus depinxit, et diros atque tristissimos ejus effectus ita ante oculos posuit, vt quisquis huic turpi vitio deditus, atque per saepe ejus perniciem ignorans, perterritus metu et summo horrore concitatus, manus ipsum corpus destruentis furorem compescere cogatur. Simili ratione artificium hoc summa cum vtilitate adhibere possumus, si noxias sequelas veneris immodicae, ebriositatis, irae aliorumque animi pathematum in corpus humanum exponere volumus. Saepissime enim homo tam forti instinctu ad eas res rapitur, vt argumenta mere moralia propensionem ad eas debellare non valeant, sed iis quoque opus sit, quae efficacius deterrent, quia metum corruptionis et destructionis corporis animo inculcant.

Magni quoque est momenti *sensibilis rerum repraesentatio*. Inculti enim homines meditationibus



nibus inassueti, semper tantum qualitates rerum in superficie haerentes arripiunt, effectus corporum, vltiorem caussarum indagacionem negligentes, animo et memoriae imprimunt, et a simili phaenomenorum connexu effectus antea obseruatis similes expectant. Aptiores sunt rerum sensibilibus obseruatores, ideoque omnibus, quae in vita communi occurrunt negotiis majori dexteritate funguntur, quam homines vmbra- tilem vitam degentes et meditationibus dediti, Si autem leuissimi argumenti vel immo rei ipsis maxime notae definitio ab iis exigitur, omnem sensum communem etiam amisisse videntur. Opinionibus licet falsis firmiter inhaerent et non nisi per rerum contrectacionem oppositam sententiam amplectuntur. Ratione rerum altioris indaginis ita sunt comparati, sicuti intellectus pueriles ratione omnium rerum, quibus circumdantur. Ideo eorum instructor saepius eandem methodum sequi debet, quam in instruendis pueris exercent boni infantum magistri.

Ex his, quae proposuimus, multae regulae deduci possunt, quarum prudens vsus, et applicatio multum ad perfectiorem hujus methodi elaboracionem confert. Cum multae res in scientia medica in sensus incurrant, saepe non
diffi-

difficile est, sensibili rerum repraesentationi, quam in medicina populari tradenda praecipue requisivimus, satisfacere. Omne studium quoque fere cuncti medicinae popularis scriptores eo collocasse videntur, ut viuidis coloribus C. H. morbosas affectiones depingant, justum rerum selectum negligentes, qui tamen summam attentionem mereretur, atque sine quo nulla medicinae popularis utilitas expectanda est. Interea, quamquam methodus popularis medica a solo conamine, res sensibili ratione repraesentandi, in majorem perfectionis gradum non promouetur, tamen medicina in genere diuersa emolumenta inde naeta est. Magis magisque enim inualuit mos, ut medici lingua vernacula in componendis eorum libris vterentur, qua morbi imagines viuacioribus coloribus depingere poterunt. Majori cura et industria eam excolere, nouasque voces in vertendis vocabulis medicis graeco - latinis excogitare coacti erant, ut notam pedantismi (sit venia verbo barbaro) effugerent. Olim putarunt, nullum medicum expertum aut doctum esse posse, nisi omni occasione voces graeco - latinas sermonibus immisceret et deliciae linguae cultorum aures offenderet. In germania haec inepta consuetudo diutius et majori pertinacia tenuit, licet saepius
 joco-



jocose perfringeretur. Sed tandem Germani sibi persuaserunt, medicas veritates non minus eleganter et apte in lingua teutonica explicari posse, quam in latina, licet eam non plane neglexerint ejusque praerogativas non ignorarint.

Restat, ut adhuc aliquid de vitiis, quae facile circa usum generis dicendi popularis committi solent, moneam. Multi sibi persuasum habere videntur, nullis difficultatibus ob apparentem dictionis facilitatem stipatum esse posse. Haec falsa opinio multa immatura et inutilia opera producit. Perfectus dictionis popularis usus non solum ingenium et summum iudicii acumen, sed etiam diuturnum et frequentius exercitium in proponendis cogitationibus requirit. Caueant igitur, ne inexercitati hunc laborem adeant. Facillime enim fieri posset ut pro plano, simplici, leuiter ornato sermone, triuiale, debile, fictum ac molestum immo plebejum scribendi genus eligerent.

Quod ad *rerum aptum iustumque selectum* attinet, difficillimus mihi labor instructoris gentis incultrae esse videtur, quoniam etiam viri huius negotii gnari nec non exercitati vitia commiserunt. Quam rem, si rite determinare pauloque

que altius discutere volumus, omnino ratio habenda est verae indoli et fini medicinae popularis, qui, ni fallor, in eo consistit, ut utilissimae, capru facillimae atque in vita comuni maxime necessariae veritates medicae diuulgentur. Utilitas rerum in populum diuulgandarum, quam in vita communi praebent, maximi omnino momenti est. Hoc bene perspexerunt, qui hanc methodum elaborandam sibi sumserunt. *Philosophi* eas tantum res, quae veram felicitatem hominum augent, relictis disputationibus et quaestionibus de rebus altioris indaginis; *Physici* et *oeconomiae Cultores* noua inuenta atque emendationes, quae sumtus diminuunt et magna emolumenta producant in re domestica, agraria et reliquis artibus; *Historici* res gestas, quae optime imitationem excitant; *Theologi* tandem eas religionis nostrae veritates, quae hominum probitatem et pietatem erga alios et sumum numen augent, diuulgare studuerunt. Quid vero pretiosius, quid ad vitae voluptatem ducendam, muneraque debita recte implenda utilius et magis necessarium esse potest sanitate? Ea deficiente reliqua omnia vix pretium ac valorem habent. Maximum igitur illud naturae donum summam hominum attentionem meretur, ut conseruetur, et amissum ut recuperetur.

Quae cum ita sint, nonne praecipuum scriptorum popularium officium esset, cum omnibus rectam C. H. cognitionem, praecepta de

C

con-

conseruanda sanitate, et de regimine aegroti in morbis communicare? Sed his rebus grauissimis aut prorsus praetermissis aut leuiter pertractatis, illam partem scientiae nostrae genti incultae statim exponere studuerunt, quae morbis mederi docet. Negari quidem nequit, eam grauissimam vtilissimamque totius medicinae partem esse, itaque eo magis requirere videtur, vt omnium captui accommodetur, et facili dilucidaque ratione explicetur. Quod autem, qui optarunt, animo non reputasse videntur, multarum scientiarum cognitionem, quas auxiliares vocant, ei opus esse, qui felici successu illam difficillimam artem exercere cupit. Ex his sequitur, vt nulla scientia populi vsui accommodari possit, quae multarum aliarum rerum cognitionem exigit. Quanam autem vtilitate, quonam fructu eiusmodi libri ab illis legi possunt, qui numquam antea ne verbum quidem de iis rebus audiuerunt, quae medicinae practicae fundamentum sunt? Nonne stultitiam iuuenis medici rideres, qui practicas medicinae partes statim addisceret, theoretica susque deque habita, si limina academiae vix salutaret? Nonne quisquis artis peritus de felici progressu desperaret?

Quomodo igitur fieri potuerit, vt viri prudentes, incultioribus, immo saepe nullis illitteris imbutis hominibus, difficillimam nostrae scientiae partem explicandam sibi sumerent, nescio. An damna, quae ex illa peruersa rerum pertractatio-

etatione oriri quotidiana docet experientia re-
 vera non vident aut nolunt videre? Multi homi-
 nes ejusmodi libri legentes, audenter sibi jus ar-
 rogant, de morborum medela judicandi et non
 raro prudentis medici consilia spernendi. Mu-
 lierculae, quae semper medicinae practicae se
 immiscuerunt, sapientiam a ipso Aesculapio ac-
 cepisse credunt, si consilia, quae praesente me-
 dico cum amicis communicant, auctoritate boni
 TISSOTI aut aliorum testimoniis corroborare
 possunt; quo fit, vt iis facilius credatur, licet
 eorum consilia saepe meliora non sunt, quam
 vetularum empyricarum. Commendant medi-
 camenta, quorum efficaciam fortasse quadam oc-
 casione expertae sunt, sed ad causarum diversifi-
 cationem plane non respiciunt! — Mediocritatem
 vt fugiamus necesse est, sed in nulla re medio-
 critas magis nocet quam in medicina! —

Aliud quoque damnum medicina practica
 populariter tradita affert, vt nimirum aegrotan-
 tium aut valetudine infirma laborantium viuida
 imaginatio facile lectione ejusmodi librorum affi-
 ciatur. Si enim facillime sibi persuadent se om-
 nibus illis morbis affectos esse, quorum histo-
 riam legerunt. Qua opinione decepti, deque
 sanitate solliciti, incredibili fere pharmacomania
 omnia medicamenta deuorant, quae auctores ad
 descriptum morbum curandum commendarunt.
 Sed si antea nondum aegrotarent, nunc reme-
 diis praepostere adhibitis in morbos incidunt ar-



que stultitiae poenam luere debent. Sic incidit in scyllam qui vult vitare Charybdim!

Nonnulli quidem credunt, totam medicinam ita proponi posse, vt quantumuis rudis eam quoque comprehendere queat. Multum de rebus philosophicis et theologicis in vulgus disseminatis loquuntur, quo probare student, res medicas eadem ratione divulgari posse. Nihil dicam de discrepantia inter scientiam medicam et theologiam et partim quoque philosophiam. Sed si rite rem inquirimus, quid inuenimus? Quomodo res theologicae et philosophicae in vulgus disseminatae comparatae sunt? Nonne tantummodo pernecessariae et in vita communi vtilissimae veritates ex vtraque scientia in vulgus propagatae sunt? Possuntne illius opinionis fautores id de toto ambitu vtriusque scientiae asserere? Luce igitur clarius patet, semper quasdam scientiae cuiusdam partes captui vulgus accommodari posse; quod autem hoc in casu de omnibus scientiis in genere valer, de medicina etiam in specie valere debet! Haud equidem negare velim, praecepta de curandis acutis morbis, qui subitaneum auxilium postulant, nonumquam incultis hominibus scitu vtilia esse. Quae tamen ita comparata esse debent, vt potius doceant, quae omittenda vel fugienda, quam quae facienda sint. Cupiditati resistere non possum ea allegandi, quae hac de re auctor, licet

licet mihi ignotus, praeclare dixit g): Ueberhaupt werden die medicinischen Volkschriften noch immer zu klinisch geschrieben, befaßen sich mehr mit der Heilung als Vorbeugung der Krankheiten, enthalten zu viel Gebote und zu wenig Verbote, und sind selten populaer oder sinnlich genug geschrieben; so das man immer den *schulgerechten Arzt* darin erblickt und selten den *Freund*, der ihnen aus Erfahrung nachbarlichen Rath mittheilen kann und will. Ein Volksbuch, das die Fehler, die bei der Erziehung der Kinder so oft gegen die Regeln der Gesundheit begangen werden, aus Erfahrungen und Thatfachen zeigte, so wie SALZMANN in Rücksicht der moralischen Erziehung gethan hat: das treulich und mit sinnlichen Gründen warnte, und immer für schleunige und schnelle Hülfe erfordernde Krankheiten wenige aber treffende und leicht zu habende Mittel angäbe: das in andern Krankheiten nur die schädliche Behandlungsart, das falsche Verhalten, die oft gefährlichen und widersinnigen Volksmittel in hellen, auffallenden Lichte darstellte, wäre ein Buch, das jedem Bürger und Bauer, der lesen kann, in die Hände zu wünschen wäre.

Quid autem de eorum conaminibus censendum est, qui scribendi et noui quid moliendi pruritu incitati, doctrinam quoque de chronicis

C 3

mor-

g) Vid. Allg. deutsche Bibl. Anhang zum 37 — 52 Bande pag. 155.



morbis, quorum diagnosi et curatio pro causarum diuersitate difficillima et perquam diuersa est, eadem ratione exponere annisi sunt. TISSOTVS noster hanc difficultatem bene perspexit et diserte eorum sollicitationes semper humaniter deprecatus est, qui optarunt, vt etiam chronicos morbos simili ratione exponeret, sicut acutos. Nonne nutus tanti viri sufficeret, ad alios minoris experientiae et habilitatis medicos ab illo labore deterrendos? Sed BVCHAN Anglus, FERMIN, LANGHANS ET PARIISIENSIS libelli tissotiani *editor* huic labori suppeditare putarunt et audacter indolem ac medelam morborum chronicorum proposuerunt. Nimis praecipitanter temereque iudicarem, si illis libris omnem vtilitatem denegarem; sed eos propositum suum non affectos esse contendo. Morborum enim chronicorum indoles ac natura, causarum intricata complicatio et pertinacia, haud raro omne medici scrutinium et remediorum efficaciam eludens: symptomatum ingens cohors eorumque subita mutatio, vt sibi contradicere videantur: indicationum secundum causarum diagnosin verae morbi naturae accommodatarum inuentio, et constans inter tot tantasque phaenomenorum confusiones persecutio: selectus efficacium medicamentorum ex vniuersa materia medica, eorumque iusta de iudicatio, nec non dosis diuersitas, qua in ejusmodi morbis porrigi debent, non solum medicum requirunt,

runt, qui latum medicinae ambitum calleat, sed maxime observationis quoque dote instructus sit.

Ceterum morbi chronici rarius homines rure degentes afficiunt, prudenti medendi ratione morborum acutorum penitus fere praeveri possunt, et tandem, si aegrum affligunt, eorum diuturnitas admittit, ut medicus arcessatur. Accedit, ut ingens eorum multitudo brevitati et pretii vilitati, praecipuae librorum popularium virtuti, repugnet. Nonnulli quidem imprimis ad ordinandam dietam in morbis chronicis respectum habuerunt, sed haec commodius in diaetetica pathologica proponi possent, quae praecepta de regimine in statu C. H. aegrotō docet. Quod autem ad morbos acutos attinet, longe alia res est. Nam eorum causae plerumque minus complicatae sunt, vires naturae medicatrices iis per crises efficacius resistunt, et a solo regimine noxiorumque medicamentorum euitatione haud raro tolluntur. Itaque eorum diuulgatio paucioribus difficultatibus stipata est, licet eam multa argumenta nobis dissuadeant.

Quibus argumentis eorum sententiam satis refutasse credo, qui non solum doctrinam de morbis acutis, sed etiam chronicis in usum incultorum hominum explicare satagunt. Verum enim vero ambitus earum rerum, quae usus gentis incultae accommodari possunt, tam amplus est, ut omni virium contentione ad eum rite

exco-



excolendum elaborandumque opus fit. Hic patet Campus, vbi viri experti rei que gnari omnes ingenii vires, quibus pollent, intendere et omnem dexteritatem exferere, et vbi cupiditati, vtilitatem generis humani promouendi satisfacere possunt.

Hactenus fines constituere conati sumus, quos gentis incultae instructor in rebus ad medicinam practicam spectantibus pertractandis non transire debet, si omnia damna euitare cupit. Nunc etiam eae partes nostrae scientiae indicandae sunt, quae summo cum fructu populariter tradi possunt.

Nemo mecum dubitabit, ad eas praecipue dilucidam sufficientemque C. H. cognitionem tam anatomicam quam physiologicam pertinere, sine qua omnia alia vix comprehendi possunt. Neesse autem est, vt ingenii viribus acomodata sit. Multa omitti possunt, quae medico et chirurgo scitu valde necessaria sunt. Cum enim nostri homines nec anatomici nec physiologi euadere debeant, facillima tantum et in omnium sensus incurrentia tradenda sunt. Tunc perutile erit praecepta diaetetica proponere; qua occasione aëris in C. H. effectus, munditiei et temperantiae vtilitas, cibi et potus, motus et quietis, somni et vigiliarum, animi pathematum vsus et abusus, eorumque efficacia in producendis et praecauendis morbis, explicare possunt. Conducent etiam, iis notitiam de variis C. H. conditio-

tionibus, nimirum de aetate, sexu, Vitae genere, consuetudine rel. suppeditare. Simul praetermittenda non sunt consilia de iis rebus, quae subitaneum auxilium postulant; quorsum pertinent, animi deliquia, venena deglutita, auxilia aquae submersis, laqueo strangulatis, vaporibus noxiis suffocatis, frigore laesis, rel. praestanda. Quibus non immerito adnumerantur consilia, quae saeuientibus morbis epidemicis cum hominibus rure degentibus summo cum fructu ab iis, quae reipublicae sanitatis curam gerunt, communicantur. Nihil autem magis animo atque viribus persequi debent gentis incultae instructores quam abolitionem omnium errorum, opinionumque superstitiosarum et praejudicatarum, quae praecipue impediunt, quo minus medicina salutare effectus latius dispergere possit, agyrtarum fraudulentiae detegantur et medicamentorum vniuersalium, specificorum et arcanorum mania deleatur. Cum haec res sit maximi momenti, scriptores populares omni cura atque studio euitare debent, ne ipsi errores diuulgent, aut consilia et praecepta doceant, quae praepostere adhiberi possent. Difficillimus enim est labor, errores populares euellere; cum saepe conamina totius saeculi id efficere non valeant, sicuti innumeri errores antecedentis saeculi in nostro adhuc praeualentes probant v. c. calefacientium vsus in febribus acutis, qui scholam sylvianam adhuc sapit. Itaque hypothefibus non

D indul-



indulgeant, vero a verosimilibus accurate separent, et tantum summas disquisitionum virorum eruditorum proponant necesse est. Quae autem omnia nondum sufficiunt, nisi fiduciam hominum incultorum humaniter conciliare student.

Haec sunt praecipua medicinae popularis emolumenta, quae omnium consensu reipublicae et totius generis humani salutem augent et promouent. Si igitur instructores gentis incultae nunquam praescriptos fines transeunt, nemo de ejus vtilitate summa dubitabit. Nam libri in vsum popularem conscripti, licet nondum sint perfecti, summam jam praebuerunt vtilitatem dissuadendo varios errores, e vanis saeculorum antecedentium hypothesibus enatos, melioraque consilia de conseruanda et recuperanda sanitate in eorum locum substituendo. Summum etiam ex iis medici fructum capiunt, cum in illis morbi sensibili ratione et fido penicillo depicti reperiantur, et exquisitissimus remediorum selectus commendetur. Quid adhuc expectandum est, si magnorum virorum conaminibus, perfectior reddita sit medicina popularis? Tunc posteritas iis viris, qui illam methodum, cujus saluberrimi effectus magis elucebunt, fundarunt, stabiliuerunt atque perfectiorem reddiderunt, benedicet.

Supereft, vt paucis tantummodo verbis *de conditione* et *indole* eorum hominum differam, quos de rebus medicis instruere volumus. Compre-

prehendo sub *inculta hominum parte* ratione medicinae eos, qui scientiam medicam non rite didicerunt aut professi sunt. Nemo non videt, hanc multitudinem variae indolis et diuersae conditionis esse. Itaque pernecessarium est, omnes in quasdam classes dispertire, cum omnino persuasus sim, plurimos errores auctorum popularium a neglecta distinctione ingenii lectorum ortos esse. Vna pars jam difficiliora indaginisque altiora intelligit, cum altera facillimis medicae cognitionis rudimentis nutrienda sit. Tres classes constituam, quarum

Prima omnes comprehendit, qui educatione docta gauisi sunt et alii eruditionis parti se imbuerunt, quorum cultior atque meditationi assueta ratio difficiliores rerum medicarum disquisitiones capere potest. Multi et eximii prostant libri, quibus tam exercitati lectores summo cum fructu uti queunt. Hi non raro libros medicorum omnis aetatis euoluunt et interdum nonnullis medicinae cultoribus doctiores euadunt. Haud difficilis est labor huic classi res medicas explicare. Ad hanc classem refero praecipue verbi diuini ministros rure degentes, in quos gens rustica saepe fiduciam collocat, quique urgente necessitate optime absente medico aegrotis omni ope destitutis consulere possunt. His viris omnino cognitiones quaedam C. H. physiologicae ac pathologicae perutiles sunt, ut leuiores morbos a periculosis distinguerent, per-



versam superstitiosamque medelam disuadere, meliorem substituere, et interdum medicamenta simplicia ac satis tuta porrigere possint. Eorum auctoritas non raro ad medicum arcessendum animos flectere valet, si morbi grauitas postulat. Quantam voluptatem in subleuanda leniendaque pauperum aegrotorum miseria sentient, simul salutis corporis atque animi prospicientes? Noxium autem et dignitatem ministrorum verbi diuini minuens mihi viderur, si medicamenta venditant et morbis mederi conantur. Vbi hic mos inualuit, miseris aegrotis paulo melius consulitur, quam si muliercula remediorum domesticorum gnara vterentur. Nam quidem e manibus agyrtarum effugerunt, sed in empiricorum manus cadunt, qui eo periculosiores sunt, quo magis speciem eruditionis medicae et experientiae possidere credunt.

Chirurgi rure et in minoribus vrbibus viuentes omnino etiam ad hanc classem referri debent. Nullis fere hominibus ejusmodi libri majorem vtilitatem praebere possunt, cum saepe omni occasione cognitiones augendi destituti sint. Praeter hos magni viri alios eximios libellos in eorum tantummodo vsum composuerunt; quorum diligens lectio maxima cum vtilitate conjuncta est, et felix artis exercitium promouet.

Secunda classis omnes continet, qui quidem se eruditos non profitentur, sed tamen librorum lectione, colloquiis cum hominibus doctis prudenti-

dentibusque, aut itineribus ingenium excoluerunt. Huc pertinet igitur magna pars nobilium, ciuium, nec non mulierum bene educatarum in vrbe aut ruri degentium. Huic etiam classi auctores populares non male prospexerunt, quia ejusmodi homines libros dilucide scriptos jamjam intelligere possunt. Sed jam difficilior est iis res medicas proponere, tam propter dilucidius et sensibilius genus scribendi, quam propter iustum rerum selectum. Si plurimi libri populares praeceptis ad morborum curationes spectantibus non nimis repleti essent, omnino huic classi sufficerent. Cum autem fere omnes libri vsui harum duarum classium inseruientes hoc vitio non expertes sint, omnino optandum esset, vt magni viri meliores finique magis respondentes componerent.

Tertiae denique classi annuero operarios et mercenarios vrbium et omnem gentem rusticam, in cuius vsu nemo fere aliquid composuit, quod ab iis hominibus cum fructu et vtilitate legi possit. Quamuis haec classis maximam attentionem mereatur, et omnes in eius vsu scripsisse contendant, tamen praecipue neglecta est. Bene Ill. GRVNERVS h): „Einige Schrifften“, ait, predigen eine *Popularmedizin*. Sie zeigen „wie man mit dem Bauer von Gesundheit und „Krankheit reden müsse. *Erst der Anfang, in*

D 3 der

h) Vid. EIVS Almanach für Aerzte und Nichtärzte
1782. pag. 148.



der Folge vielleicht die Vollendung. Verum quidem est, difficillimam esse prouinciam, se ad debiliores ingenii vires ejusmodi hominum demittere, eosque nonnullas cognitiones, quas plane ignorant, docere. Hoc requirit virum, qui eos per longum temporis spatium observavit et e propria experientia didicit, quomodo optime gens rustica de rebus ad sanitatem et morbos spectantibus institui debeat. Omnibus artificii, quae supra adduxi, opus est, vt homines tam rudes, librisque legendis plane non assuefacti, ad laborem alliciantur, quam cane et angue pejus fugiunt. Cum aetate prouectiores, tam ob ingenii tarditatem, quam ab alios labores domesticos, vix in addiscendis de sanitate praeceptis, quae non raro vilipendunt, operam navaturi sint; moliri debemus, vt iuventas jam inde ab ineunte aetate iis rebus instituat, quae ad conservandam sanitatem pertinent.

Summas laudes igitur vir mereretur, qui tamquam alter ROCHOVIUS librum componeret, in quo vtilissimae, captu facillimae et saluberrimae veritates medicae brevi ac dilucido ordine contentae essent. Pueri hanc epitomen eadem ratione legere possent, sicuti libris rudimenta nostrae religionis continentibus in scholis vtuntur. Hac ratione salubriora medicinae principia etiam inter homines vltimae fortis disseminarentur. Sic instructa iuventas optimum et validissimum foret remedium, ad evellendos errores,

res, et divulganda circa sanitatem meliora principia. Aliud autem impedimentum removendum est, antequam salutare effectus de medicina populari expectare licet: ut nimirum hi libri elementares vilissimo aut, si fieri posset, nullo pretio inter gentem rusticam distribuerentur. Divites cujusdam provinciae aut parochiae, salutem subditorum optantes, exiguam divitiarum partem ad emendos et dispertiendos libros, a viris probis rerumque gnaris sub publica auctoritate compositas, impendere possent ¹⁾. Res publica sibi incolisque non male consuleret, si quid pecuniae ex publico aerario ad hunc finem destinaret, et ita paupertati perutilis subditorum partis succurreret. Tunc fortassis in qualibet familia pauperi simul cum sacra scriptura libro canticorum et ephemeridibus librum utilissimum praecepta sanitatis, maximi hujus vitae beneficii, continentem inveniremus.


Homines humanitate pleni nostra aetate, qua jam saluberrima conamina, veram humani generis salutem promoventia, omni virium contentione adjuncta sunt, certe eximia emolumenta diutius ignorare possunt, quae ex ea rerum dispositione oriri deberent. Nonne in magnis
vr-

¹⁾ Nonnulli jam diu suaserunt, ephemeridibus tractatus de rebus medicis inferere, sicuti ROSENSTEINUS fecit. Sed hoc confi-

lium eam ob causam mihi displicet, quia praeterlapso anno aut numquam aut rarissimo leguntur ephemerides.




urbibus societates conjunctis viribus omnia adhibuerunt, quae ad vitae recuperationem et resurrectionem submersorum inservire possunt? Nonne divitiores magnarum urbium viri (vti Londini et Hamburgi) in societates coeunt, sumtusque suppeditant, vt pauper urbium incola auxilio medici experti, medicamentis, cibisque nutrientibus non careret? Non igitur indignus sane foret, Coevi, labor atque conatus, hacre, quae nulli alii vtilitate cedit, vestras jam bene gestas res augere, et gratias praesentis et sequentis aetatis mereri! Vtinam omnibus orationis ornamentis et impetu instructus essem, vt vestris animis perficiendum hoc opus persuadere posses. Vtinam vtilitatem et saluberrimos hujus rei effectus vobis ita ante oculos ponere valerem, ne ea, quae propofui, tantummodo pia desideria manerent, sed potius in generis humani salutem exercentur. Sed mihi iam sufficet, attentionem aliorum uirorum majori eloquentia et auctoritate praedictorum excitasse, qui, si rei gravitatem animo perpendant, adhuc plura argumenta inuenient, quae medicinae popularis diuulgationem suadent.



W 18

P. CA



8

DE

MEDICINA POPVLARI

CONSENSV ATOVE AVCTORITATE

G I

M I

C

U

